

Serenissime Rex

28 Iulij 1621 de

296

1176

Litteras R. M^{is} V. die xxvii. Augusti scriptas nudius tertius accepi, quibus mihi significat R. P. D. Simone Rudnicki defuncto Prelatos, & Canonicos Ecclesiae cathed^{alis} Varmiensis Serenissimum Principem Joannem Albertum filium suum in Episcopum postulasse, seq^{ue} postulationem eiusmodi ratam habuisse, & San^{mo} D. R. prefatum Serenissimum Principem Joannem Albertum nominasse, mandatq^{ue} preterea mihi M^{tas} V. negotij eiusmodi curam. Itaq^{ue} ego mirifice letatus occasionem mihi praeberi obsequia nostra quae omnibus praeclari istius Regni hominibus debere me sentio patronis ipsis, ac Dominis meis nauandi, scripsi illico ad Summum Pontificem, is enim modo in Tusculano est, eum rogans, atq^{ue} obsecrans, ut Sereniss^m Principem Joannem Albertum Episcopum Varmiensem declarare, eum etatis lege soluere, & in ijs functionibus, quae ipso modo exercere nequit, per Vener^{lem} Michaelem Dzialinski Varmien^{sem} Canonicum adiuuari uelit. Omnia à benigniss^o & M^{is} V. amantissimo Pontifice sunt obtenta, iamq^{ue} eius litterae pro capiend^a Episcopatus Varmien^{sis} possessione isthuc sunt transmissae. Dabitur modo opera expeditionis de more diplomatibus Pontificijs, & ego interea Ser^{mo} Principi Dno meo gratulatus, & ei faustum, felicemq^{ue} precatus ad Ecclesiasticas dignitates in ipso iuventutis flore ingressum celsitudinem eius ueneror, & M^{is} V. Regiam Dexteram per summam reuerentiam osculor. Roma die xxviii. Sept^{ris}. M.D.C.XXI.

R. M^{is} V.

Heinrich Seren
Carlo punito

296

Serenissimo Principi Sigismundo Tertio^{mo}
Poloniae, & Suetiae Regi Potent.

